633.

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

FELONIA

QUAM

DEO OPTIM. MAX. FELICITER ANNUENTE, EX DECRETO ET AUTHORITATE MAGNIFICI ET AMPLISSIMI JCTORUM IN ILLUSTRI ACADEMIA JULIA ORDINIS

PRAESIDE

DN. HULDERICO EYBENIO, JCTO, PANDECTARUM PROFESS. CELEBERR. h. t. DECANO SPECTABILI, ET CONSILIARIO GUELPHICO, GRAVISSIMO &c. &c.

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN UTROQUE IURE HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM CENSURAE SUBMITTET

ANDREAS Koch / NEOHALLENSCHLEBIENSIS Saxo, in Republ. MAGDEB. Advoc. Ordinar.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN MAGNO JULEO

AD DIEM XIIX. NOVEMB.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

ANNO CIↃ IↃC LXXIII.

INCLYTÆ REIPUBL.
MAGDEBURGENSIS
DOMINIS
DNN. CONSULIBUS,
SYNDICO, CAMERA-
RIIS, SECRETARIO,
ET SENATORI-
BUS.

VI-

VIRIS
NOBILISSIMIS reſpectivè GE-
NEROSO, MAGNIFICIS,
AMPLISSIMIS, CONSVL-
TISSIMIS ET PRVDEN-
TISSIMIS DNN. PATRO-
NIS AC PROMOTORI-
BVS ÆTERNVM
VENERANDIS.

POſtquam aliquot per annos lauda-
bili & toti Reip. utiliſſimo Jurium
ſtudio indefeſſâ operâ incubui, &
ea,

ea, quæ ad uberiorem iſtorum notitiam requiri videntur, divino auxilio abſolvi; tandem meæ induſtriæ fructum deſiderans, ea, quæ hactenus intra limites meræ cognitionis coarctaveram, ad uſum transferre mecum decrevi. Cùm autem finem meum tutius me non aſſecuturum intelligerem, quàm ſi in florente quodam judicio, & auguſto aliquo prudentum ac gravium virorum conſeſſu nonnullis judicum officium implorantibus patrocinium accommodarem: Elegi, Domini Mecœnates, inclytam curiam in Rep. veſtra Magdeb. & hactenus, abſit jactantia dictis, ita me patronum clientibus præbui, ut ipſi non ſaltem meo labore ac aſſiduitate contenti fuerint; verùm etiam vos, honoratiſſimi Patres Patriæ, meam in hoc officio adhibitam dexteritatem ſignis ſat luculentis probaveritis. Quod certè me ita affecit, ut amore, neſcio quô, erga hanc civitatem abreptus mecum

 con-

conſtituerim hic Lares perpetuò figere, eósque non niſi cum vita mea revellere. Ut tamen inclyto ordini Senatorio, nec non toti civitati meos in Juriſprudentia profectus adhuc apertius commendarem, habitâ prævià conſultatione, ad Nobiliſſimam Juridicam Facultatem, quæ in illuſtri Julia ad invidiam uſque excellit, me contuli, & ab ea, factâ prius accuratâ inquiſitione tàm in Tentamine, ut ibi vocatur, quàm rigoroſo Examine, in ſcientiam tàm Civilis, quàm Canonici Juris hucuſque mihi non ſine magno ſudore acquiſitam, documentum meæ Legalitatis publicum impetravi, & ſubinde Exercitationem hanc de Felonia elaboratam totius Academiæ Juliæ cenſuræ & examini more conſuetô ſubmiſi, ut, cùm concordantibus Dominorum ICtorũ ſufragiis in numerum DOCTORANDORUM receptus eſſem, & aliorum judicia eo modo exquirerem, numquid & dignus ab iis haberer, cui a-

liquan-

liquando ſummi honores jure ac meritò conferri poſſent. Hoc ita feliciter obtentô, in bivio conſtitutus cuinam hanc Diſſertationem Inauguralem offerrem, multis tandem argumentis allectus ſum, eam vobis, Patroni perpetuo obſervantiæ cultu proſequendi, dedicare atque conſecrare. Nam ut alia ſilentii peplo involvam, inter beneficia haud exigua in me collata non poſtremum illud eſſe duco, quod ante ſeptennium, cum ex Illuſtri Julia diſcederem doctrinam Juris ad Praxin trans laturus, me in veſtra Republica ad publicum advocandi munus haud inviti admittere, & facultatem orandi cauſas eorum, qui aliorum injuriis, malitiâ vel etiam injuſtis deſideriis & petitionibus onerati, auxilium Judicis invocare coguntur, benevolè concedere haud gravati fueritis. Quem ſanè favorem, quô utique magnoperè me ſublevatum eſſe non diffiteor, & mentem erga me

& ſtu-

& ſtudia mea promovenda propenſam, debitis prædicare laudibus haud deſiſtam. In teſſeram igitur animi grati vobis, Mæcenates maximi, fortunæ meæ authoribus hoc munus chartaceum ſubmiſsè exhibeo, dedico & conſecro, humillimè rogans, ut illud tanquam debitæ meæ erga vos obſervantiæ monumentum placidis ſuſcipiatis manibus, & in poſterum veſtro me favore dignemini, utpote qui viciſſim ſum & ad extremum vitæ ſpiritum uſque ero.

V. V. V.

Nobilit. Generoſ. Magnific. & Amplit.
Obſervantiſſ.

Dabam Magdeb.
Poſtrid. Non. Nov.
A. CIϽ IϽC LXXIII.

ANDREAS Koch.

I. N. D. N. J. C.

DISPVTATIONIS JURIDICÆ INAUGURALIS

DE

FELONIA

PRAEFATIO

TOtum Ius aut in acquirendo, aut in conſervando, aut in minuendo conſiſtere VLPIANVS, celeberrimus ICtus *lib. 2. Inſtit. tradidit*: Aut enim in negotiis humanis hoc agitur, quemadmodum quis rem, vel Ius ſuum conſervet; aut quomodo illud alienet, vel amittat, & hanc ab VLPIANO traditam regulam eſſe catholicam, ac non tantùm in Iure ALLODIALI; ſed etiam Feudali probè obſervari, concors Feudiſtarum ſententia eſt. In Feudalibus enim conſuetudinibus non ſolùm, qualiter Feudum acquiratur & retineatur; verùm etiam quomodo amittatur, oſtenditur, uti hoc liquet ex *tot. Rubr. & Nigr. 1. F. 1. 2. F. 26. & 47.* aliisque Textibus Iuris Feudalis. Inter cauſas verò, ob quas aliquis vel dominiô directô, vel utili ipſius Feudi privatur, præcipua eſt FELONIA, de quâ,

intra gratæ brevitatis nos continentes limites, conciſis theſibus, adſpirante SS. Trinitate, quæ eſt unum univerſorum principium, juxta *gloſſ. ad Rubr. C. de Summa Trin. & fid. Catholic.* agemus, ita quidem, ut I. à Deſcriptione auſpicemur. II. Perſonas, quæ FELONIÆ delictum committunt, indicemus. III. ſpecies Feloniæ, imprimis eas, quæ in Feudorum conſuetudinibus continentur, breviter enumeremus. IV. Denique, quænam & Domino & Vaſallo hac ratione competant remedia, ſuccinctè commemoremus.

THESIS. I.

ANtequam ad FELONIÆ Deſcriptionem accedamus, ipſius Vocis ἔτυμον, & veram ſignificationem extrêmo tantùm digito attingemus. Originem verò hujus vocis neque ex Latio, neque ex Græcia petendam eſſe, ULDERIC. ZAS. *in epitom. Feud. p. 3. n. 1. 2. & 10. 75. & 76.* oſtendit. Non enim à Græco Φήλωσις vel Φήλωμα, à quo CUJAC. *in c. 1. in princ. quibus modis Feudum amittatur,* iſtam formare voluit. Neque rectè à Latino *Fallo*; ſed potius à Germanico Fehlen & Fehler derivanda eſt, monente Rittershuſ. *in Partit. Feud. l. 2, c. 5.* Uti enim Feudorum origo à Longobardus, qui Germani Saxonesque fuerunt, & circa Seculi Quinti ſexageſimum octavum annum, imperante Juſtino II. Italiam invaſerunt, eoque Jure Feudorum ibidem ut in patriâ uſi fuerunt, repetenda eſt; ita etiam multa vocabula in uſibus Feudorum ex linguâ Longobardorum & Germanorum deſumpta ſunt, quod etiam FRANCISCUS HOTOMANNUS *in Comment. de verb. Feud. ſub tit. F. de hac Voce FELONIAE* affirmat. Quamvis

verò

verò germanica vox Fehler/ ſi nativam ipſius vim ſpectemus; ad hujus delicti atrocitatem exprimendam vix aſſurgat; tamen uſus, qui in hiſce talibus plus quàm vocum origo valet, hîc potiſſimùm attenditur.

II.

Significâſſe hanc vocem Longobardis idem ac Latinis *Scelus*, jam allegatus FRANC. HOTOMAN. *cit. loc.* fuſius demonſtrat. Adpellatur FELONIA aliàs ab Interpretibus, delictum, noxa, offenſio. Henricus à Roſenthal. *cap. 10. In princ. tom. ſecundi.* Eſt vero Feloniæ vox tàm Domino quàm Vaſallo communis, juxta *cap. Domino committente. 2. F. 26. & 47.* vid. Dionyſ. GOTHOFRED. *ad alleg. textus.*

III.

Præmiſſis iis, quæ ad vocis excuſſionem pertinere videbantur, nobis FELONIAM ita deſcribere liceat, quod ſit delictum Feudale in varia publica & privata crimina incidens, ob quod Domini vel Vaſalli delinquentes jus ſuum in Feudo amittunt.

IV.

Feudale delictum eſſe Felonicam, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Hoc enim delictum in cauſis Feudalibus vel à Domino, vel à Vaſallo committi, ejusque Reos pœnam privationis ejus juris, quod in Feudo habuerunt, ſuſtinere, generalitas Textuum ſatis innuit. *c. Domino committente 2. Feud. 26. & 47.* Vide etiam Alvarott. *in dict. cap. n. 4.* Non tantùm verò committendo; ſed etiam omittendo hoc Feloniæ delictum perpetrari, in aprico eſt. Nam non ſolùm illi Domini & Vaſalli, qui agunt id, quod in Jure Feudali eſt de genere delictorum ſub pœnâ caducitatis vetitorum, in dolo verſantur, & Feloniæ Rei habentur; verùm etiam iſti, qui negligunt id, ad quod ſe Jure Feudali obſtrictos eſſe, vel ſciunt, vel ſcire debebant, hoc Feloniæ delictum perpetrare dicuntur:

Cùm & omittendo aliquis dolum committere poſſit. *l. ſi procuratorem 8. §. dolo autem facere.* Riminald. *Conſil. 391. num. 25.* Maſcard, *Vol. 1. de probationibus. Concluſ. 531. n. 149.* quin Textus Juris Feudalis, ut aliquis Feloniæ argui poſſit, ſemper requirunt dolum. *2. F. 24. 26. 27. & 52. §. 3.* Roſenthal. *c. 10. Concl. 12. n. 4.* Ludolph. Schrader. *in Tract. F. P. 2. Sect. 14. n. 28.*

V.

Perſonæ, quæ Feloniam committere poſſunt, non tantùm Vaſalli, ſed etiam Domini ſunt. Ad mutuam enim ſive reciprocam fidelitatem ſibi invicem præſtandam obligantur Dominus & Vaſallus. Subſtantialem enim & eſſentialem Feudi formam mutuam hanc fidem ingredi explorati juris eſt. *2. Feud. 26. C. Domino. 2. Feud. 47. & 52, §. 3.*

VI.

Relata quoque ſunt Dominica & Vaſallitica fides, quarum una ſine altera conſiſtere nequit, & cum ſint correlativa, jus reciprocæ obligationis & charitatis habent. CASPARVS KLOCKIVS. *Conſil. 7. n. 187. Vol. 2.* Propterea ob arctiſſimum fidelitatis vinculum Vaſalli & Domini, conjuges & amici adpoſitè vocantur. *2. F. 58. in princ.* Quamvis verò Vaſallus & Dominus ſibi invicem fideles eſſe debeant; tamen ſecundum communem Feudiſtarum traditionem laxior eſt Domini obligatio erga Vaſallum, quàm Vaſalli erga Dominum. Non enim iis reverentiæ & obſequii vinculis, quibus Vaſallus obligatus eſt, conſtringitur Dominus. ROSENTH. *c. 11. Concluſ. c. 9. n. 5. & ſeqq.* Hinc Dominus non ſervans fidem fideli ſuo ſive Vaſallo, dicitur molliori vocabulo, *Maleſidus*; Vaſallus verò qui contra Vaſalliticam fidem egit, *perfidus* & *perjurus* appellatur. *2. F. 6. in fin.* Quin ſi ad experientiam provocamus, deprehendimus: Vaſallos ob Feloniam commiſſam frequenter dominio utili ipſius Feudi; Dominos verò vel Seniores jure proprietario rariſſimè exui & privari.

privari. Cujus tamen cauſa non tàm in jure, quàm fortaſſis in potentiâ Dominorum & aliis ſimilibus quærenda eſt. Quid verò de eo Vaſallo, qui nullo juramento obſtrictus eſt, ſtatuendum? Certè, neque is fidelitatis vinculis eximendus. Conſuetudine quidem vel pactis fieri poteſt, ut juramentum fidelitatis, quod tamen regulariter à Vaſallo præſtandum eſt, juxta JUL. CLAR. *4. Sent. §. Feud. Quæſt. 70.* Rittershuſ. *1. Feud. 10. Quæſt. 12.* remittatur; Fidei verò obligatio iſtoc caſu indiſſolubilis manet. *2. Feud. 24. 40. & 76. c. 13. Extra, de Jurejurando.* Unde diviſio iſta vulgaris inter Feudum *jurabile* & *non jurabile* promanavit.

VII.

Feloniæ ſpecies ab Interpretibus Juris Feudalis duæ potiſſimùm conſtituuntur: *altera*, quæ Felonia commiſſionis: *altera*, quæ Felonia omiſſionis adpellatur. Cujus diſtinctionis fundamentum habetur *in toto. tit. 5. F. 1. & in tot. tit. 24. F. 2.*

IIX.

Illa à Vaſallo, cùm is arctiſſimo & fidelitatis & reverentiæ & obſequii vinculis Domino obligatus ſit, duplici perpetratur modo, vel enim Vaſallus in Dominum, eosque qui Domini poteſtate, & ejus adfectione continentur; vel in extraneum delinquit.

IX.

Cauſæ, in quibus contra ipſum Dominum Feloniæ delictum perpetratur, vel vitam & famam, vel ejus bona, vel tàm vitam & famam quàm ipſius bona concernunt. Ad primam refertur, ſi Vaſallus Dominum, à quo Feudi Titulum habet, interficit: ob commiſſum enim hoc delictum Vaſallus ſe beneficio indignum reddit, & hæres Domini eum Feudo præviâ cauſæ cognitione meritò privat. LAURENT. SYLVANUS *de Feud. recognit. quæſt. 29. n. 2. Vult. de Feud.*

 lib.

lib. 11. c. 1. n. 25. HOTOMAN. *in Diſp. Feud. c. 41.* Ejusdem Feloniæ reus eſt Vaſallus, qui Clericum unum ejus eccleſiæ, à qua Feudum accepit, occidit. BARTHOL. *Conſil. 161.* Feloniam quoque committit Vaſallus in ipſum Dominum, ſi telo ipſum præſtolatur, vel vitæ ejus veneno, vel gladio, aliisque nefariis modis inſidias ſtruit. *2. Feud. 24. §. 2. verſ. porro.* Tum enim inimici loco habetur, ac Feudo privatur, niſi pœnitentiâ ductus re adhuc integrâ à propoſito deſiſtat. Ludolph. Schrad. *in Jur. F. C. 10. Concluſ. 17. num. 22.* Si verò inſidiæ ad actum externum progreſſæ fuerint, pœnitentia ſubſecuta Vaſallum excuſare vix poterit. Pœnitentia enim in delictis ferè conſummatis, ad quæ ejuſmodi inſidiæ referuntur, nihil relevat. ROSENTHAL. *alleg. loc. n. 14. & 15.* FRANCISC SONSBEC. *in Com. F. p. 12. n. 33. & 38.* Si tamen Vaſallus ſe tuendi causâ adhibitô moderamine legitimæ defenſionis Dominum, à quo injuſtè inſultatus fuit, interfecerit, Feloniæ pœnam non incurrit. Nam vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittunt, & ita legitima defenſio extra omnem legis pœnam conſtituta eſt. *l. 3. ff. de Juſtit. & Jur. l. 4. pr. & l. 45. §. qui cum aliter 4. §. ad L. Aquil.* RITTERSHUS *in partit. F. C. 11. quæſt. 7.* Quia ordinaria charitas, quæ à ſe ipſa incipit, non permittit, ut Vaſallus vitam ſuam ſaluti & vitæ Domini poſtponat.

X.

Sicut igitur Vaſallus vitam, ita etiam famam, honorem, & exiſtimationem Domini ſub periculo privationis Feudi pro virili tueri debet: Ad hoc enim juramentô, cujus vigore Domino etiam in omnibus cauſis honeſtatem ejus concernentibus conſilium & auxilium præſtare tenetur, *2. F. 7.* obſtringitur; Quin periculum famæ etiam vitæ æquiparatur, *l. juſta 9. ff. de manum vind.* Huic verò tuitioni exiſtimationis nihil magis adverſatur, quàm contumelia, ignominia, & injuria.

injuria. Hinc Vaſallus Dominum atroci *injuria vel reali vel* verbali afficiens, Feloniam committit, ac Feudo denudatur. *2.F.24. §.2. verſ. porro. Borchhold.de Feud.C. 8. n.110.* Perinde autem eſt, ſive Dominum præſentem ſive abſentem convitiis proſcindat Vaſallus, & ſive verbis ſive ſcriptis id faciat: quod etiam etiam eò extenditur, ſi Vaſallus alteri ad inferendas injurias conſilium vel auxilium præſtat; vel ſi falſis & caninis latratibus famam Domini abſentis à cavillatoribus rodi animadvertit, & hoc non revelavit nec impedivit. *c. 1. de nov. form. fid.*

XI.

Hoc verò de eo tantùm caſu intelligendum eſt, ſi in ipſius Vaſalli poteſtate ſitum fuerit, ipſorum malevolorum hominum famæ & exiſtimationi Domini labem aliquam adſpergere conantium propoſitum impedire, vel periculum imminens avertere, & juſto tempore illud Domino ſignificare. Qui enim prohibere potuit, tenetur, ſi id non fecerit juxta *l.45.ff.ad L. Aquil.* ex converſo, qui nullam impediendi facultatem habuit, ab omni dolo & pœnâ eſt immunis.

XII.

Quoniam corpus Domini, uti ſupra dictum eſt, Vaſallus tueri tenetur, adeò, ut illud ſanctum ipſi eſſe debeat, Feloniæ delictum quoque committit, atque pœnam caducitatis Feudi ſuſtinere tenetur Vaſallus, ſi Dominum aſſalierit, vel vicum, in quo eſt, per vim aggreſſus fuerit, vel impias manus in perſonam Domini ubicunque injecerit. *2. Feud. 24. in verbis. Porro.* Huc referri poteſt, ſi Vaſallus veſtimenta Domini in ejus contemptum laceraverit, vel ſi eum aquâ perfuderit, vel ſi adhibitâ vi aliquam rem è manibus ipſius Domini extorſerit. *Ludolph. Schrad. de Feud. p. 9. c. 4. num. 28. 29. & 30.*

XIII. Ha-

XIII.

Hactenus quomodo erga ipſum Dominum Feloniæ commiſſionis delictum perpetretur, dictum eſt: reſtat, ut etiam paucis indicemus, quâ ratione hoc Feloniæ delictum adverſus perſonas poteſtati vel adfectui Domini ſuppoſitas committatur. Committitur verò, ſi Vaſallus cum uxore Domini concubuerit, vel concumbere ſe exercuerit, aut cum ea turpiter luſerit (quod Schrad. ita interpretatur: Si manum in ſinum immiſerit, fœmora, mammillas, vel alium locum, unde turpitudo quædam colligi poteſt, contrectaverit) vel ſi cum filia aut nepte ex filio aut cum nupta filio, aut cum ſorore Domini ſe commiſcuerit. *2. F. 5.* Quod etiam extendendum eſt ad Vaſallum, qui uxorem Domini de adulterio ſollicitavit: nam & hic Feloniam committit, & Feudo exuitur, *Rittershuſius. partit. Feud. l. 2. c. 5. quæſt. 96.* Neque à Feloniæ pœna immunis eſt Vaſallus, qui uxori & cognatis Domini graves infert injurias in ignominiam & damnum Domini redundantes. *Cravett. conſ. 373. n. 8.*

XIV.

Circa ipſa bona in Feudum data Felonia à Vaſallo perpetratur, quando Vaſallus Feudum, vel Feudi partem, vel ejus conditionem ex certa ſcientia domino abnegat; ſi videlicet rem Feudalem, & ſe Vaſallum, & Patronum Dominum eſſe inficietur, quo caſu ipſi, ſiquidem totum feudum, vel ejus conditionem, per quam intelligimus ſervitia, pacta conventa, & alias Feudi qualitates inficiatus fuerit, totum: ſi verò partem abnegaverit, ipſi pars Feudi prævia Judicis ſententia aufertur. *2. Feud. 26.* ſiquidem legitimis probationibus convictus fuerit Vaſallus. Probationes verò privilegiatæ, ad quas juramentum partis refertur, hic non ſufficiunt ad docendam Feloniam, & infligendam caducitatis pœnam. Privationis quoque pœna contra Emphyteutam, qui rem Emphyteu-

phyteuticam ſciens & fraudulenter Domino abnegavit, ſtatuenda. *Everh. in Top. Loc. à Feud. ad Emphyteuſin. 29. n. 12.* Ignorantia tamen & bona fides Vaſallum; cum videlicet ipſi, quiſnam verus Feudi Dominus ſit, non ſatis conſtitit, excuſant: Cum enim tum dolo careat, Feudi privationem non promeretur: textum habemus expreſſum *in §. Vaſallus ſi Feudum. 2. Feud. 26.* ubi enim ait Feudiſta, *quod ignoranti ſubveniatur*; Niſi ignorantia à Vaſallo allegata craſſa, ſupina, atque adfectata fuerit, quæ vel in dolum incidit, vel ad eum proximè accedit. Illa enim nullam prorſus meretur veniam *l. 3. §. 1. l. 6. ff. de Juris & fact. ignorantia. Henric. à Roſenthal. c. 10. concl. 32. num. 4.*

XV.

Ad Vaſallum non proprietatem & dominium directum, ſed tantùm utile ſeu uſumfructum Feudi tranſire, explorati juris eſt. Quemadmodum verò uſufructuarius cauſam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere poteſt, juxta. *l. 15. §. ff. de uſufr.* Ita etiam Vaſallus Feudum in detrimentum ipſius proprietatis non redddere debet deterius, aliàs Feloniam committit & Feudo exuitur. Intelligimus autem hîc non quamlibet exiguam; ſed inſignem deteriorationem. E. g. ſi Vaſallus arbores bonas vigentes & fructiferas exſcindit. *Ludolph. Schrad. de Feud. p. 9. c. 6. num. 59. Borchold de F. c. 8. n. 129.* Parte verò Feudi enormiter deterioratâ Vaſallus non ſtatim integrum Feudum, ſed partem rei Feudalis deterioratam amittit: Iniquum enim foret Vaſallum ob minimam partem rei Feudalis deterioratam toto privari Feudo. *Schneid. in Epit. F. part. 8. c. 1. n. 32. 33. & ſeqq.* Quin expelli etiam poſſe Vaſallum, qui fundum incultum relinquit, alleg. *Schrad. p. 9. c. 6. n. 70.* ſtatuit.

XVI.

Pro Felonia denique Commiſſionis in re Feudali reputatur, ſi Vaſallus non requiſitô nec obtentô Domini conſenſu alienaverit Feudum. Clara enim ſunt verba in *§. fin. 1. Feud. 5. Quibus modis Feud. amitt.* Quòd Feudum ſine voluntate Domini alienatum jure revertatur ad Dominum, quorſum etiam ſpectat. *c. Imperialem in verb. Nos autem: de prohibita Feud. alien. per Frider.*

XVII.

Quid verò Juris de eo, in quem à Vaſallo Feudum titulo empti & venditi translatum eſt, ſtatuendum? Diſcrimen hîc faciendum eſt inter eum, qui bonâ & inter eum qui malâ fide rem Feudalem à Vaſallo illicitè alienatam emit. Si bona fide aliquis rem Feudalem à Vaſallo datô certô pretiô comparavit, contractus quidem quoad rei translationem eſt nullus, non verò quoad alienantis præjudicium. *Bald. in c. Imperial. 1. 2. 3. 2. F. 55. de prohibita Feud. alien. per Frider.* Competit enim tum emptori bonæ fidei actio contra venditorem ad recuperandum pretium nec non ad Intereſſe. *Bald. cit. loc.* Malæ autem fidei emptoris callidæ machinationes ita exoſæ ſunt in conſuetudinibus Feudalibus, ut ſolutum pretium amittat, & Feudum liberè ad Dominum revertatur, uti Feudiſta loquitur. *2. Feud. 55. de prohib. Feud. alien. per Frider.*

XIIX.

In cauſis tàm ipſum Dominum, quàm ejus bona concernentibus Felonia contra Dominum committitur, ſi Vaſallus

ſallus cum hoſtibus in Domini ipſius perniciem conſpirat, annonam & arma ipſis ſuppeditat, vel tranſitum per ſua loca ipſis concedit, quod tamen tenori juramenti à Vaſallo præſtandi maximè adverſatur *2. Feud. 7. de form. fidel.* Cùm enim Domino contra hoſtes auxilium præſtare teneatur, eos juvare ulla ratione non debet. *Vult. de Feud. l. 1. c. 11. n. 38.* Feloniæ quoque reus eſt, ſi ſecreta Domini ſui pandit. *2. Feud. 17.* Non enim oportet Vaſallum eſſe proditorem Domini, quod de ſervo dicitur in *l. fin. C. de delator.* Eidem Feloniæ delicto & pœnæ innodatur, qui hoſtibus in Domini detrimentum nuncium mittit, vel qui permittit literas hoſtium, cum prohibere vel intercipere eas poſſet, tranſire. *Decian. in Tract. Crim. l. 7. c. 13. num. 31.* Huc pertinet, ſi Vaſallus munitiones Domini hoſtibus vel tradit vel prodit. *Natt. conſ. 174. num. 116.*

XIX.

Feloniæ delictum committitur quoque à Vaſallo, qui contra Dominum criminalem & famoſam actionem intentavit. *2. Feud. 33. §. fin.* Vel ſi delator adverſus Dominum extitit, & per ſuam delationem grave diſpendium ipſum ſuſtinere fecit. *2. F. 24. verſ. item ſi Delator.* Neque Vaſallus in cauſa criminali ſine Feloniæ delicto pro accuſatore fidejubere, neque contra Dominum alteri patrocinium præſtare poteſt nec debet. *Gloſſ. in §. etiamſi delator 2. F. 24.* Quod tamen de accuſatione & delatione dictum eſt, ad crimen læſæ Majeſtatis à Vaſallo delatum, vel ad Actionem, quâ Vaſallus ſuam ſuorumque injuriam debito modo vindicare intendit, vel ſi aliàs impetrata abolitione à cœpta accuſatione deſiſtit, haud extendendum eſt. *VVeſenbec. de F. c. 15. n. 5. Vult. 1. F. 11.*

Huic Feloniæ etiam annumeratur, ſi Vaſallus proprio motu non compulſus à Judice teſtimonium in cauſa imprimis criminali contra Dominum reddiderit. *2. F. 33. §. ult.* Vel ſi cum Domini inimicis ſuas copulaverit amicitias, atq; in aliis ſic verſatus fuerit, ut potius inimicus, quàm fidelis eſſe credatur, putà ſi arma contra Dominum cum inimicis ſumpſit, in perſonam Domini, caſtrum, aut locum ejus inſultum fecit. Neque enim is fidelis nomine dignus eſt, qui illum, quem vigore præſtiti juramenti defendere debebat, oppugnat. *2. Feud. 7. & 1. F. 57.* Neque intereſt, ſive pedes, ſive eques, ſive mari, ſive terra, ſive ſolus, ſive cum aliis inſultum fecerit, vel eundem alteri ſuaſerit vel mandaverit.

XX.

Examinatis iis, quibus contra Dominum Felonia commiſſionis perpetretur, reliquum eſt, ut etiam paucis, quomodo Vaſallus in extraneum delinquendo Feloniam committat, videamus. Inter alia verò delicta, ob quæ Vaſallus Feloniæ pœnam incurrere poteſt, refertur parricidium *2. F. 24. verſ. ſi vero non Domin.* Crimen læſæ Majeſtatis. Videatur *conſtit.* Des Landfriedens zu Augſpurg *de anno 1548. §.* die Peen der Friedbrecher. Inceſtus & aliud atrociſſimum ſcelus, propter quod Vaſallus honeſtè in curia Domini ſtare non poteſt. vid. *Receſſ. Imper. de anno 1495. & 1546.*

XXI.

Feloniam commiſſionis excipit ea, quæ à Feudiſtis adpellatur omiſſionis: cum à Vaſallo negligitur id, ad quod ſe obligatum eſſe ſcit, vel ſcire debet. Huc refertur, ſi Vaſallo in-

ſo innotuerit, aliquem Dominum vel in vitæ, vel bonorum diſcrimen adducturum eſſe, illumque dolo de eo certiorem facere intermiſit *2. F. 7. c. un. §. 1.* Obligatus enim eſt Vaſallus perſonam Domini incolumem & bona ejus intacta ſervare. *2. F. 6. 2.* Si Vaſallus Dominum, cum quo ad prælium ivit in acie morantem: & periclitantem deſeruit, cùm ipſum adjuvare potuerit, vel ſi dolo ex caſtris auffugerit. Hunc enim beneficio indignum eſſe Feudiſta dicit. *2. F. 24. §. 2.* Nam Vaſallus Domino corporis & ingenii viribus tàm pace quàm bello auxilium præſtare cogitur; etiamſi in inveſtitura de ſervitiis nihil fuerit expreſſum. Servitia enim ex ipſa Feudorum natura debentur. *c. 1. ibi reſtat. ut in ſex praced. auxilium de form. fidel.* Quod Feudiſta de profugo Dominum in acie deſerente dicit, illud *Schrader. p. 10. ſect. 7. n. 81. etiam de eo ſtatuit,* qui gradum unum atque alterum ad fugam promovens, antequam effugere potuit, per milites Domini eum inſequentes à fuga retractus eſt. (3) pro Felonia omiſſionis habetur, ſi Vaſallus Dominum vel in vincula conjectum, vel injuſtè captum & detentum non liberat, cùm id facere potuiſſet. Incumbit verò hoc in caſu Domino probatio, quod Vaſallus ſciverit, eum detineri, & quod liberandi facultatem habuerit. *c. Item ſi delator, qua fuit prima cauſa.* Vaſallus enim ſecundum tenorem juramenti in *tit. 7. 2. Feud. de nova forma fidel. à Feud. proſcr.* non tantùm obligatus eſt Dominum captum & vinculis detentum pro virili eripere & liberare; ſed quantum poteſt, præcavere, ne Dominus includatur, vel capiatur. (4) Feloniæ omiſſionis pœnam Vaſallus incurrit, ſi mortuô Dominô ab hærede intra annum & diem feudi inveſtituram petere neglexit. *2. F. 55. §. Præterea in verbo:* Si per *annum & diem.* Intelligimus verò hîc doloſam renovationis intermiſſionem,

 quæ

quæ meritò Feudi privationem meretur. *c. fin. de proh. F. alien. Carpzovius par. 2. Juriſp. For. Conſtit. 54. Defin. 18. & lib. 6. Reſp. Elect. 5. num. 18.* Domino verò remedium proditum eſt, ut Vaſallum tribus vicibus convenienti ſpatio interpoſito ad accipiendam inveſtituram & præſtandum juramentum fidelitatis citet, tum enim Vaſallus contumax, qui non comparet, à Feudi petitione repellitur: *c. un. §. eſt & alia, quæ fuit prim. cauſa. F. 24.* Quin Vaſallus inveſtituram, quæ eſt quaſi quidam cenſus reverentiæ & pars ſervitii, debito tempore, etiamſi non fuerit citatus, ad eam accipiendam non petens contra tacitam Feudi conventionem facere videtur. *Per text. c. ſancimus. quo tempore miles. in c. 1. in pr. quæ fuer. prim. cauſ. benef. am. in cap. Imperialem §. Præterea ſi quis, de proh. Feud. alien. per Frider.*

XXII.

Feloniæ omiſſionis annumeratur 5. ſi Vaſallus forſan inter Pares curiæ electus Domino jus reddere renuit, vel non ex æquo & bono judicat, vel exceptiones & probationes à Domino allatas recipere recuſat. *c. un. §. item qui. 2. verſ. illud tamen, quæ fuit prim. Cauſa. 2. F. 24.*

XXIII.

Tandem omiſſionis Felonia à Vaſallo perpretatur, ſi à Domino legitimè requiſitus debita ſervitia, ob quæ Feudum delatum eſt, eidem præſtare detrectet, *1. F. 21. 2. F. 24. §. ſed non eſt alia 2. Feud. 26. §. Si Vaſallus.* Intelligimus verò hîc ſervitia, de quibus vel certa conventio inita eſt, vel quæ nulla contentione determinata ſunt: poſteriori caſu exhibenda ſunt

da *ſunt* ea, quæ regulariter ſine aliqua ſingulari expreſſione Feudo inſunt. *Henricus à Roſenth. c. 10. cond. 15. num. 8.* Ob impedimentum verò & impotentiam Vaſallus à præſtatione ſervitiorum excuſatur. Impedimentum tamen leve non excuſat, neque adfectata impotentia relevat. Et hactenus, quomodo à Vaſallo Felonia perpetretur, dictum eſt: jam paucis, quomodo à Domino eadem committatur, ſubjungemus.

XXIV.

Vaſallum Domino & Dominum Vaſallo ad mutuam obligari fidelitatem, ſupra dictum eſt: Fidelitas enim formalem & ſubſtantialem Feudi rationem ita ingreditur, ut ea ſalvo Feudo remitti non poſſit. *Duaren. de Feud. c. 2. num. 3. Cujac. in præfat. Feud. in fin. Vult. l. 1. de Feud. c. 6.* Feudô enim conceſsô conditio fidelitatis, licèt non adjecta fuerit, ſemper tamen ſubintelligitur. *Obrecht. lib. 2. F. 10. num. 8.* & quamvis reverentiæ & obſequii vinculis exemtus ſit Dominus; tamen fidelitatis, ſecuritatis, ac defenſionis legibus non eſt ſolutus.

XXV.

Nam Dominum ad ſex illa capita videlicet: In colume, Tutum, honeſtum, utile, facile, & poſſibile, quæ traduntur *2. Feud. 6.* Vaſallo teneri: *Spectabilis Dominus Decanus & Præſes in Electis Feudal. cap. 11. de form. Feud. §. 10.* latius demonſtravit. In omnibus enim iis, ut loquitur Feudiſta, vicem fideli ſuo reddere debet. Quod ſi verò contra illa ſex capita peccaverit, pro malefido cenſetur, Feloniæ reus habe-

tur,

tur, ac Feudi proprietate, quæ tunc ad Vaſallum pertinet, privatur. *2. F. 6. in fin. 2. F. 26. verſ. Domino committente*, qui Textus ſecundum *Baldum* (hîc in *Gloſſ. Dominis*) terribilis eſſe, ſanctum tamen jus continere dicitur. Spectat etiam hûc. *c. 47. F. 2.* Obrecht *in tract. de Feud. l. 4. c. 7.*

XXVI.

Inter Dominum & Vaſallum cùm ſint quaſi conjuges & amici *2. Feud. 58. in princ.* nulla fraus, nec ullum malum ingenium intervenire debet, uti loquitur Feudiſta. *§. fin. 2. F. 55. de prohib. Feud. alien. per Lothar.*

XXVII.

Feloniæ autem delictô à Vaſallo perpetratô quæſtio exſurgit: an Dominus propria authoritate Vaſallum ex Feudo expellere, & illud occupare poſſit? An verò remedio & actione competente contra ipſum experiri debeat? Quamvis verò olim Seniores pro lubitu Vaſallis Feuda adimere potuerint; tamen hodie Domino pro arbitrio Vaſallum de Felonia non convictum ſine cauſæ cognitione Feudo privare permiſſum haud eſt. Sive Feuda fuerint temporalia, & ad vitam certi Vaſalli, vel ad generationes, vel in perpetuum conceſſa, Putant tamen nonnulli, hîc diſtinguendum eſſe, utrum notoriè de Feloniâ in Dominum commiſſa conſtet? Vel an illa adhuc ſit dubia? Priori cauſa Feudum ipſo Jure ad Dominum redire, adeoque non opus eſſe ſententiâ judicis docent; pro qua opinione confirmanda allegant *c. 1. quæ fuit cauſ. prim. benefic. amitt.* Poſteriori verò caſu omnino exſpectandam eſſe ſententiam declaratoriam exiſtimant.

XXIIX. Ve-

XXIIX.

Verùm & juri & æquitati magis conſentaneum eſt, Dominum propriâ authoritate Feudum ingredi, Vaſallum expellere, illudque ſine cauſæ cognitione ad ſe trahere non poſſe; ſed ſententiam Judicis de delicto atque cauſa cognoſcentis, expectandam eſſe: qua de re notabilis extat Textus *in c. unic. in pr. ibi. ſine cognita culpa.* vid. *Gloſſ. in c. un. quibus modis am. Feud. in verbis: amittere cenſetur. 1. F. 5.* Quam ſententiam defendunt. *Zaſ. in Epit. F. p. 10. n. 72. Oldendorp. in progymnaſm. action. cl. 5. circa fin. Rittershuſ. in part. F. l. 2. c. 6. qu. 15. 16. & Gail. l. 2. obſ. fin. n. 1. l. 2. c. 3. num. 10 de pace publica,* ubi dicit ad auferendam poſſeſſionem, ſemper requiri ſententiam privationis, etiamſi vaſallus, ipſo jure, quoad Dominium utile Feudum amiſiſſe videatur ad quem ordinem judicarium reſpexit etiam Feudiſta. *2. F. 27. §. 7.*

XXIX.

Cùm enim omnia jura in omnibus caſibus, etiam in quibus quid ipſo jure committi dicitur, declaratoriam ſententiam, ut commiſſum eſſe conſtet, pro auferenda poſſeſſione requirant, multo magis Dominum ſententiam privanvantem expectare oportet, quando Feudum non ipſo jure aperitur. Ante omnia enim de delicto perpetrato ejusque qualitatibus conſtare debet, & exceptiones, quibus forſan Vaſallus ſe tueri poſſit, audiendæ ſunt. Neque etiam Domino, etiamſi notoriè de Feloniæ delicto conſtet, & Feudum ipſo jure committi dicatur, permiſſum propria authorithate ſine aditione Parium curiæ, vel alterius judicis, competentis Vaſallo Feudum eripere; ſed nihilominus hoc

quoque in caſu ſententia declaratoria daß er das Lehn verwürcket habe / opuseſt. Super quæſtione enim facti non pronunciat Lex; ſed Judex, inſpectâ integrâ facti ſpecie, & diligenter ponderatis omnibus circumſtantiis pronunciare debet, *Bald. Conſ. 301. num. 1.*

XXX.

Quô vero remediô Dominus ob feloniam à Vaſallo commiſſam experiri poſſit, ulterius eſt inquirendum. Potiſſimùm ſequentes ipſi in jure proditæ ſunt actiones: vel enim condictionem ex lege, vel utilem rei vindicationem, vel actionem revocatoriam contra Vaſallum intentare, & hac ratione Feudum in ſuos uſus redigere poteſt. *c. un. in fin. d. allod. 2. F. 54.* BORCHOLD. *de F. c. 9. n. 21.* Quin & Domino ob perpetratum à vaſallo feloniæ delictum competit & actio ad privationem, & actio Juris communis videl. vel actio injuriarum, vel rei, vel pœnæ perſecutoria, vel alia. MOLIN. *in Conſuet. Pariſ. 1. §. 2. gloſſ. 4. n. 13.*

XXXI.

Cum Vaſallus quoque Dominum, ad defenſionem, & ad ſecuritatem præſtandam, cuſtodienda & obſervanda privilegia, uſus & conſuetudines Feudales, imprimis verò ad ſex iſta capita à Feudiſta *2. Feud. 6. de formâ fidel.* tradita, obligatum habeat, non dubitandum, quin eidem, contra Dominum, ſiquidem in his ſe fidelem non præbuerit, itidem aliquod Remedium competat. Contra Dominum enim Malefidum & Feloniæ Reum, ad privationem Domnii directi, quod iſte in re feudali habuerat, experiri vel ſi fuerit

læſus,

læſus, præter privationem, etiam privatam delicti perſecutionem intentare; Vel contra Dominum qui perpetrato Feloniæ delicto, nihilominus vaſallum, ad accipiendam inveſtituram citat, & ad conſueta ſervitia, requirit vel aliud quippiam, quod vaſallo præſtare incumbit, exigit, exceptione commiſſæ Feloniæ & inde acquiſitæ conſoldationis, ſe tueri poteſt. Dominô enim ob commiſſum Feloniæ delictum, proprietate Feudi denudatô, ea cum uſufructu conſolidatur & vaſallus plenam in re feudali habere incipit poteſtatem. *2. Feud. 26. §. Domino committente & 2. F. 47. Caſpar. Klock. Conſil. 7. num. 188.*

XXXII.

Quamvis vero Domini Felonia ſit notoria, tamen non ipſo jure, ſed itidem, ut vaſallus Dominio utili, prævia ſententiâ declaratoriâ, feudi proprietate, privatur; Forma enim & modus in unô Relativorum traditus, in aliô quoque expreſſus videtur. Merito enim & hic veſtigiis textuum ex moribus Feudorum ſupra allegatorum inſiſtimus, in quibus expreſsè cautum legimus, quod lis inter Dominum & vaſallum exorta, coram paribus curiæ finiri debeat. Quin expreſſus habetur textus *2. feud. 22. in verb. Si verò vaſallus*, ubi indefinitè Feudiſta ſubjicit quod vaſallus, qui de Domino conqueritur, quod ingreſſus ſit feudum malô ordine (quod interpretantur, nullâ habitâ cauſæ cognitione, neque ullâ præcedente laudatione, id eſt ſententiâ) Dominum in curiam vocare & in eadem curiâ, de Dominô conqueri debeat. Curiam autem Dominum adire debere, illumque ſalvâ reverentiâ competenter cogere, ut vel poſſeſſionem reſtituat & acquieſcat vel judicio Curiæ ſe committat.

 Quæ

Quæ verba ſatis arguunt in cauſa amiſſionis, implorationem judicii, cauſæ cognitionem & ſententiam ſemper eſſe neceſſariam. Verùm cûm inſtituti, & temporis ratio ac negotia quibus implicitus ſum, non permittant brevis Diſſertationis limites excedere, & ea omnia quæ de materia hac ſatis arduâ & per varia delictorum genera ſeſe diffundente, ab Interpretibus Juris Feudalis fuſiùs pertractata ſunt compilare, Theſibus noſtris colophonem imponimus. Deo ſummo rerum arbitro, qui cæptis noſtris benignè adſpiravit, ſit laus & perennis gloria.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA.

Inſerenda, delenda, & corrigenda. *In præfat. poſt verb. quemadmodum in lin. 5. inſer. hæc verb.* quid cujusque fiat, aut quemadmodum quis. *In theſ. 9. in nomine Bartholus, del.* H. *in Theſ. 10. lin. 14. del. ſemel. voc.* etiam. *in theſ. 14. lin. 20. del. voc.* enim *in theſ. 21. membr. 3. poſt. verba; Si Vaſallus Dominum del. hæc verb. vel in vincula conjicit, vel iſtum detineri facit, vel in ead. theſ. lin. 23. poſt. verbâ Feud. leg.* præſcripti. *in theſ. 25. lin. 10. voc.* Dominis *extra Parenth. legenda. in Theſ. 26. in lin. 1. poſt voc. Dominum inſer.* enim.